

Propheta. Unde & ipse Dominus, ad sanctum Job de eo locutus est: Quis est iste involvens sententias sermonibus imperitis: quod est, improprietate verborum atque inordinatis sermonibus, sensus propheticus narratur: ubi non reprobatur Dominus quod Helium loquitur: sed quod præpropere ab eo dicitur, hoc reprehendit. De hoc inquam Helium, & sui similibus, & in principio libri hujus diximus: quod prophetie mysterio usi sint etiam, qui exorbitaverant à vera religione: quia & illis dedit Deus verbum suum, ut mysteria futura pronunciarent hominibus: ubi maximè fides, & admiratio gentilium pendet: ut qui nostris nolunt credere Prophetis, credant saltem divinis, & varibus suis. Hunc itaque Helium, qui est Balaam, figuram habere gentium diximus, adversantium Christo: sicut & illos amicos beati Job, hereticorum figuram. Quod autem ait: finita sunt verba Job: possumus intelligere tanquam dixerit, firmissimè stabilita sunt verba divina, & irrita esse non possunt: quæ usque ad æternam promissionem fideliter credentes perducunt. Isti verò, qui iustum virum, & sempiternum, præsumptione adinventorum dogmatum audent discutere, æterno quandoque silentio conticescent. Quod autem Helium duobus nominibus vocatur, non est mirum: familiare est hoc scripturæ divinæ: ut Salomon Idiada: & cognatus Mosis dicitur est Ietro, & Ragucl: & Petrus, Simon. Unde non parvam obsecritatem hæc varietas nominum solet legentibus exhibere.

Iratus est autem adversum Job, eo quod iustum se esse diceret coram Deo. Porro adversum amicos ejus indignatus est: eo quod non invenissent responsum rationabilem, sed tantummodo condemnassent Job. Igitur Helium expectavit Job loquentem: eo quod seniores essent qui loquebantur. Cum autem vidisset quod tres respondere non potuissent, iratus est vehementer. Respondensque Helium filius Barachiel, Buzites, dixit: Videtur mihi quod hæc prius gesta sunt, quæ hielegimus, quam illa quæ in Numeris de hoc ipso Helium, sive Balaam facta referuntur. Hic igitur Helium: qui ait Job & amicos ejus se expectasse loquentes, honoris ac reverentia causa ostendit se fecisse quod fecit: senioribus scilicet deferendo. Jam hic ipse Helium verba sunt, ita dicens:

Junior sum tempore, vos autem antiquiores: ideo deo missio capite, veritus sum indicare vobis meam sententiam. Sperabam enim quod aras prolixior loqueretur: & annorum multitudo doceret sapientiam. Sed ut video, spiritus est in hominibus: & inspiratio omnipotentis dat intelligentiam. Non sunt longævus sapientes: nec senes intelligunt judicium. Dicit hoc sibi magis videri, quia spiritu agantur homines, quibus Deus omnipotens sapientia suæ inspirationem tribuerit: quod in suggestionem prædictorum quasi ex obliquo dicit: veluti sibi soli hoc sapientia bonum concessum sit. Notandum quod hic Helium, per quatuor locutiones, sicut textus lectionis docet, sibi ipsi succedit: per quas singulas, vel priorum responsa, quasi eruditius retractare: vel singula loca asperius à sancto Job dicta, coram ipso destruere conatur. Nam post præfationem copiosam, in prima locutione sua, de sancti Job verbis hæc posuit: ita inquit: Mundus sum ego, & absque delicto immaculatus: & non est iniquitas in me. Quia querelas in me reperit: ideo arbitratus est me inimicum sibi. Posuit in nervo pedes meos, & custodivit omnes semitas meas. In secunda locutione, verba Job ita posuit, dicens: Iustus sum: & Deus subvertit judicium meum. In judicando enim me, mendacium est: violenta sagitta mea absque ullo peccato. Tertia locutio ejus ita habet: eodem Helium dicente ad Job: Dixisti enim: non tibi placet quod rectum est: id est, Deo dixisti, ait: quid tibi prodest si ego peccavero? Quarta verò locutio Helium, continet quod pro Deo locutus, operatione sua Deum iustum probare disponat: quod usque in finem quarti hujus sermonis sui inter prophetia suæ mysteria accertimè, & cum summa instantia proficitur, & non desistit.

Ideo dicam, audite me, ostendam vobis etiam ego meam sapientiam. Expectavi enim sermones vestros: audivi prudentiam vestram, donec discernerem sermonibus vestris. Quoniam vestra mihi jam facta est manifesta. Hoc Ironico ab eo dicit, non dubium est: & ideo quia superius sibi prudentiam dixerat amicorum Job, sequitur id appetè, dicens:

Et donec putabam vos aliquid dicere, considerabam. Sed ut video, non est qui possit arguere Job, & respondere ex vobis sermonibus ejus. Ne forte dicatis: invenimus sapien-

tiam, Deus projecit eum non homo. Nihil locutus est mihi: & ego non sermone sermones vestros respondebo illi. Eximierunt, nec responderunt ultra: abfuleruntque à se eloquium. Nullam, inquit, adversum me Job habuit dispositionem: sed neque ego illum, quemadmodum vos facitis, maledictionibus victorum, & opprobriis aggredior.

Quoniam igitur expectavi, & non sunt locuti: steterunt, nec ultra responderunt: respondebo & ego partem meam, & ostendam scientiam meam. Proinde & ego Helium ait, pro viribus meis respondere tentabo: & ostendam vobis meam, & Job pariter scientiam: quod ex jactantia vanitatis dicere eum latis apparet, cum subjungit:

Plenus sum enim sermonibus, & coarctat spiritus uteri mei. En venter meus quasi mustum absque spiraculo, quod lagunculæ novæ dirumpit. Loquar & respirabo paululum: aperiam labia mea, & respondebo. Juxta anagogen ventrem suum, aut uterum, & spiritus uteri ipsam memoriæ suam dicit: eo quod penè omnes sermones Job, & amicorum ejus, aliquando disceptantium, velut cibos intra capacitatē suæ memoriæ congregaverit.

Non accipiam personam viri, & Deum homini non æquabo. Nescio enim quamdiu subsistam: & si post modicum tollet me factor meus. Iusti iudicii mei, inquit, sententia hæc est, ut nec homini parcam, vera dicendo: nec Deo injuriam faciam, ut eum injustè aliquid contendam fecisse.

Caput XXXIII.

AUDI igitur Job eloquia mea, & omnes sermones meos ausculta. Ecce aperui os meum: loquatur lingua mea in faucibus meis. Simpliciter corde meo sermones mei, & sententiam labia mea pura loquentur. A Domino ita despicitur Helium, cum ait de eo, quis est iste? Indignum enim erat atque præposterum ut vir magnus, Deoque placidus, etiam si ut homo in aliquo deliquisset, ab ipso corripere, qui longè à vera religione esset. Sed si moveret forsitan quempiam: quia iste Helium multa de salvatoris temporibus futura prædixit: quæ ut prophetiam suscipiamus: Sciatis quisquis est, quem hoc movet, illa quæ spiritu Dei prædicta sunt, suscipienda à nobis & credenda. Hæc verò quæ elatione cordis ab eo deprompta sunt, reprobanda: quoniam de propriis suis, ut diabolus locutus est non ex Deo.

Spiritus Dei fecit me: & spiraculum omnipotentis vivificavit me. Ut det autoritatem se audiendi, ita locutus est, quod non possit non recta & vera dicere, is qui Spiritu Dei factus sit, & omnipotentis spiraculo animatus: ubi Trinitatis Deum intelligere debemus. In Deo enim nominat patrem: in omnipotente, filium: in spiritu, Spiritum sanctum. Trinitatis enim Deus creavit omnia: sed quando hominem fecit, propria & specialia quadam significatione nominum, per diversam operum nuncupationem se voluit demonstrare: ita legislatores dicente: Et creavit Deus hominem: ad imaginem Dei creavit eum: masculum & feminam fecit eos. Itemque: Et fecit Deus hominem de limo terræ: Et inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ: & factus est homo in animam viventem: ubi in faciente, & inspirante, vel etiam benedicente: sine ulla discretionē, vel dissonantia voluntatis, operatam Trinitatem sentire debemus. Non enim refert aliquid, vel diversum intelligere facit, verbum creavit, inspiravit, & benedixit: ubi secundum naturæ unitatem, una est voluntas opusque commune.

Si potes, responde mihi: & adversus faciem meam conste: ecce & me sicut & te fecit Deus: & de eodem luto ego quoque formatus sum. Verumtamen miraculum meum non te terreat: & eloquentia mea non sit tibi gravis. Prolaturus verba ejus, responsum deponit: ut sub blandimento quodam, & consolatione simulata, minarum terrorem incuteret: quo perturbatus Job, facilè multiloquio ipsius cederet.

Dixisti ergo in auribus meis: & vocem verborum tuorum audivi. Mundus sum ego, & absque delicto immaculatus: & non est iniquitas in me. Quod ergo Helium ait ad Job: Hoc est ergo in quo non es justificatus: id est, accurate debuisti te, non laudare: non illud dicere: mundus sum, sine peccato, & immaculatus: iniquitas quoque non est in me: hoc est, inquam, in quo non es justificatus: quia justificatio per humilitatem acquiritur. Laus verò elationis

condemnationem meretur. Potuit quidem ut vir justus, & de sanctis operibus suis sibi bene conscius, audenter aliqua quæ vera sunt, Deo dicere: non potuit tamen hæc quæ ei Helium falso objicit, velut sacrilegus loqui. Denique illa, quæ dixisse Job dicit, ita inquit:

Quia querelas in me reperit: ideo arbitratus est me inimicum sibi. Posuit in nervo pedes meos: custodivit omnes semitas meas. Hoc est ergo in quo non es justificatus. Non legitur hæc Job dixisse: quæ utique ex sensu ejus, quasi à sancto Job dicta, suis hic verbis composuit. Unde hunc potius non rectè verba dicere noverimus, quam eundem sanctum Job dixisse credamus.

Respondebo tibi: quia major sit Deus homine. Adversus eum contens, quod non ad omnia verba responderit tibi. Semel loquitur Deus: & secundo idipsum non repetit. Per somnium in visione nocturna, quando irruit sapor super hominem, & dormiunt in lectulo: tunc aperit aures virorum: & erudiens eos, instruit disciplina: ut avertat hominem ab his quæ fecit: & liberet eum de superbia, eruens animam ejus à corruptione: & vitam illius, ut non transeat in gladium.

Ab ipso principio mundi, & deinceps semper locutus est Deus hominibus, & semel nihilominus loquitur: sed ubi frequenter loqui dicitur Deus: vel lex ejus multiplex: vel Prophetarum & mandatorum ejus diversitas indicatur. Ubi verò semel loqui significatur, stabilita ac definita ejus sententia demonstratur. Loqui enim Deum efficientia ejus res intelligitur. Semel loquitur Deus: & secundo idipsum non repetit: id est, non immutat Deus, nisi hoc ipsum vitæ nostræ mutatio deposcerit: hoc loco de duobus quibusdam correptionum gradibus, Helium diligenter enarrat, & dicit quod eruditio divina, vel castigatio circa hominem, & in noctis visionibus fiat: itemque in lectulo: unde ait: Contabescere faciat hominem, donec ad vitæ hujus extrema perveniat. Et cum ab aliquo sancto pro eo fuerit interventum, ut fecit Iaias pro Ezechia rege: restituatur pristina sanitati. Et ait in subsequenibus: quod tribus vicibus hæc circa hominem operetur: id est, evidenter, & probabiliter, & confirmativo modo: vel propter trinum perfectionem, vel propter trium restium veritatem. Quo genere etiam patientiam Dei, cleumentiamque significat: quæ non statim, sed per partes, & per vices castigat, & arguit delinquentem: ubi ei nec præceptis veritatis iudicium, nec inultis remissio, nec injustitiæ imputatur iniquitas.

Incepit quoque per dolorem in lectulo, & omnia ossa ejus marcescere facit. Abominabilis ei sit in vita sua panis: & anime illius cibis ante desiderabilis. Tabescet caro ejus, & ossa quæ testa fuerant, madabuntur. Appropinquabit corruptioni anima ejus: & vita illius mortiferis. Si fuerit pro eo angelus loquens unum de similibus: ut annunciet hominis avaritatem: miseretur ejus, & dicit: Libera eum, ut non descendat in corruptionem. Inveni in quo ei propicius. Sive ut alii dixerunt: accessit usque ad mortem anima ejus: & omnia ossa ejus marcescere facit. Cum per hæc itaque correctus homo atque consumptus, morti & infernalibus ministris appropinquaverit: si fuerit quispiam sanctorum, qui nomen sancti angeli habere mereatur: is pro hujusmodi qui pro peccatis suis à Deo ita corripitur, poterit impetrare: si tamen de multis operibus bonis: quæ operari debuerat: saltem unum bonum opus ejus, quod tanquam sacrificium pro eo placabile offerat Deo, valuerit invenire. Exaudiet, inquit, & jubebit, ut prædictus ad correptionem infernorum cruciatum non descendat: eo quod vir magnus quidam extiterit: ejus preces Deus non poterit non audire. Et angelus quilibet de cælo assistens ante faciem Dei, poterit pro quolibet peccatore in flagellis castigationum positio intercedere: ipsi enim est cura iuncta à Deo, vel maximè, ut diversis hominibus, vel nationibus, defensionis sive custodiæ suæ opem ferant. De quibus Apostolus: Nonne omnes sunt administrationi spiritus in ministerium missi: propter eos qui hæreditatem capient salutis? Exemplum autem rerum præsentium, de quibus nunc loquimur, in scripturis dominicis retinemus: ubi legitur, in somnis homines fuisse correptos, ut Nabuchodonosor regem superbissimum: & Laban, qui parentis sui Jacob interitum disponebat: & Abimelech regem, qui sancti Abraham domum contaminare tentabat: & uxorem Pilati, quæ ait ad eum de Domino nostro Jesu Christo, Nihil tibi & iusto illi: multa enim passa sum per somnium propter eum. Et magi in Evangelio in somnis admoniti, per

aliam viam egrediuntur. Fideles etiam viri à Deo in formis instruantur, ut Jacob Patriarcha: & alios legitur infirmatos esse propter peccata, de quibus illum paraliticum fuisse discimus: cui ait Dominus: Remittuntur tibi peccata tua. Legimus & sanctos ægros fuisse, ut Trophimum, & Epaphroditum: quos utique velut iustos tali castigatione examinatos credere debemus: non ut peccatores infirmitatis verbere flagellatos. Sequitur:

Consumpta est caro ejus à suppliciis: revertatur ad dies adolescentie suæ. Recepti, inquit, mala pro meritis suis & suppliciorum atque poenarum mensuram: sufficient hæc et verbera castigationis: quibus revocatus est ad emendationem: nunc indulgentia divinæ pietatis, ad dies adolescentiæ revertatur: id est, sit iterum sanus atque incolumis.

Deprecabitur Deum, & placabilis ei erit: & videbit faciem ejus in júbilo: & reddet homini iustitiam suam. Quod interim corde fit, cum per Deum bonum conscientia possideatur. Videbit autem Dei faciem, propitium sibi futurum illius sentiens, redditurus ei digna satisfactione iustitiam.

Respiciet homines, & dicit: Peccavi, & verè deliqui: & ut eram dignus non recepi. Magna res est, Deoque plurimum acceptabilis, ut homo errores suos confiteri non erubescat: præsertim si pro eis se intelligat castigari: & ita se humiliet, ut quicquid castigationis sustinuerit, pro meritis suis parum se passum pronunciet.

Liberavit animam suam ne pergeret in interitum: sed visvens lucem videret. Ecce hæc omnia operatur Deus tribus vicibus per singulos: ut revocet animas eorum à corruptione: & illuminat lucem viventium. Id est, agnitionis Dei lucem, & immensa beneficia illuminatus agnoscere.

Attende Job, & audi me: & tace dum ego loquor. Si autem habes, quid loquaris: responde mihi. Loquere: Volo enim te apparere iustum. Quod si non habes, audi me: tace & doce te sapientiam. Quasi hæc ratione Helium sanctum Job convicerit, ait illi: Audi me: id est, docenti te obediens esto, & præbe consensum. Quod autem dicit, ut taceat: eloquentem & tanquam minus eruditum, vel impatientem jubet ut sileat.

Caput XXXIV.

PRONUNCIANS itaque Helium, etiam hæc locutus est. Quasi sententiam Helium pronunciare dicitur: & præsentis amicos sancti Job, ad audiendum se cohortatur. *Audite sapientes verba mea: & eruditi auscultate me. Auris enim verba probat: & gustus estus gustu judicatur. Quemadmodum igitur, inquit, à faucibus ciborum sapor discitur: ita & verba, aurium judicio comprobantur. Et idcirco ait Helium:*

Judicium eligamus nobis: & inter nos videamus, quid sit melius. Id est, prius discutiamus, antequam hominem condemnemus.

Quia dixit Job: iustus sum. Non sermonem hunc Job dixit: sed dum virtutes iustitiarum suarum notas fecit, iustum proculdubio se esse monstravit: quem & Dominus iustum jam dixerat. Quod hic dicitur:

Et Deus subvertit judicium meum. In judicando enim me, mendacium est: & violenta sagitta mea absque ullo peccato. Similiter & hoc ipsum non legitur, sed scriptum tenemus: Vivit Deus, qui abstulit iudicium meum. Subvertit autem iudicium, ad iniquitatem respicit iudicantis: abstulisse verò iudicium: id est, pro tempore distulisse: ad dispensationem iusti iudicis pertinet. Et multiplicavit vulnera mea etiam sine causa. Proinde hoc loco asserente Helium, hic esse sensus videtur: quod cum Job ita dixerit, fessellit Deum iudicium meum, non rectè & verè iudicavit: & ideo erga me mendacio agitur. Quæ autem locutus est Job, magis incautè, & præsumens de iustitia Dei dixisse credendus est. Proinde iuste ei, & merito Deus ait: Utique qui arguit Deum, debet respondere ei: in quibus utique verbis Dei increpatur. Hoc resonat, quod beatus Job non rectè aliqua sit locutus: sed qui optimè noverat, quod bona in eo plurima essent: unde & illi placuerat: concedit ea quæ immoderatus eum loqui in summis angustiis dolor compulsi.

Quis est vir ut est Job, qui bibit subnationem quasi aquam: qui graditur cum operantibus iniquitatem: & am-

bulat cum viris impiis: Cujus viscera tanquam aque abundantia, veneno hujus passionis impleta sunt.

Dixit enim: Non placebit vir Deo, etiam si cucurrerit cum eo. Invidiosè de eo sanctum Job locutum fuissè mentitur: quia beatum Job tam infelicitè sapiussè non credimus: sed nec alicubi eum hoc dixisse meminimus.

Ideo viri cordati audite me: abstitit à Deo impietas: & ab omnipotente iniquitas. Opus enim hominis reddet ei: & juxta vias singulorum restituet eis. Verè enim Deus non condempnabit frustra: nec omnipotens subvertet iudicium. Quasi exposita impietate sancti Job: & in medio audientium prolata in invidiam Job, quasi impia sit locutus.

Quem constituit alium super terram: aut quem posuit super orbem quem fabricatus est? Id est, nunquid alium rectorem posuit, qui à creatoris iustitia discreparet. Ipse ergo quam potens conditor, tam pius est moderator: quia opus suum agnoscit, & diligit.

Si dixerit ad eum cor suum, spiritum illius, & statum ad se trahet. Desiciet omnis caro simul: & homo in cinerem revertetur. Id est, mundi: nam si omnia quæ in eò quotidie geruntur, secundum regulam iustitiæ suæ voluerit intueri, deficiet ac peribit: sed eum pietate potius gubernat ac sustinet. Nam si iniquitatem observaverit, quis sustinebit? Spiritum dixit animam, quæ vivificat hominem: & statum, ipsam presentem vitam, quæ corporibus nostris per anhelum ex hoc aère ministratur. Hæc ergo Helium dicit ad se trahere Deum: cum auferit hominibus vitam, quam eis creando tribuat. Possunt per spiritum prophetiæ hæc loca ita videri figurata: ut nunc in Christo compleantur, quando dissolutione carnis assumptæ, pater eundem filium suum, per quem omnia fecit, ad hunc mundum ex suo eructuatum corde direxit: ut spiritum ejus & statum ad se traheret: id est, ut auferret ab eo, per humilitatem crucis, spiritum: id est, superbiam spiritus mundialis: statum quoque tumentis eloqui: quo anhelans gloriabatur in sermonibus suis. Sic quoque homo in se represso tumore deficeret: ac revertens in seipsum, cognosceret se terram esse & cinerem: ubi secundum moralem intelligentiam, illud de psalmo sentimus: Et auferes spiritum eorum, & deficiet: & in terram suam convertentur. Postea ergo quam de virtute Dei, & iustitia prædictus locutus est, Helium se rursum ad Job convertens, dicit:

Si habes ergo intellectum: audi quod dicitur: & ascolta vocem eloqui mei. Nunquid qui non amat iudicium, sanari potest? Et quomodo tu eum qui iustus est, intantum condempnas? Qui dicit regi, apostata: qui vocat duces impios. Manifestum est, inquit, quia is qui iustus & rectè iudicare non diligit: neque sanare à vitis animam, neque corrigere quemquam potest: & quomodo tu sanator es languorum nostrorum, qui iniquitates notare præsumis?

Qui non accipit personas principum: nec cognovit tyrannum, dum disciparet contra pauperem. Opus enim manuum ejus sunt universi. Secundum mysticos intellectus, principes isti Judæorum, Scribae & Pharisei, & sacerdotes possunt intelligi: quos in Evangelio increpat. Tyrannum verò eundem populum Judæorum, non ab re esse sentimus, qui contra cæterum sanctorum Ecclesiæ, pauperem, humilem spiritu, contritum corde, rejiciendo hodie discipat: quod facere & tempore Apostolorum non desinebat, quando per omnes civitates contra eos pugnas & seditiones agebat. Hos igitur ut infideles & impios Dominus non cognosceret: quibusque etiam manifestè dicitur: Non novi vos: discendite à me omnes qui operamini iniquitatem. Sequitur, dicente Helium de his, de quibus dicit superius:

Subito morietur: & in media nocte. Secundum sensum Apostoli est, qui ait istud de filiis tenebrarum: Cum enim dixerint pax & securitas: tunc repente eis superveniet interitus. Mediã verò noctem dictam: ideo existimo: eo quod in profunda cordis cæcitate positi, spiritualiter moriantur.

Turbabuntur populi: & pertransibunt, & auferent violentum abscque manu. Oculi enim ejus super vias hominum: & omnes gressus eorum considerat. Secundum psalmistam: Cùm viderit, inquit iustus vindictam impiorum, exemplum videlicet peccatorum hominum pertimescens, manus suas lavabit in sanguine peccatoris. Hoc igitur modo turbabuntur populi: qua perturbatione terram sensibilem legimus conturbatam: sicut Propheta ait ad Deum: Commovisti ter-

ram & conturbasti eam: sana contritiones ejus, quia mota est: Sic enim quasi boni viatores ad futurum sæculum pertransibunt, ubi locus non erit impius: aliter nullum habeat adjutorium violentus, quo defendi vel erui possit à pertrahentibus eum ad supplicium mortis.

Non sunt tenebrae, & non est umbra mortis: ut abscondantur ibi qui operantur iniquitatem. Sive ut alii dixerunt in fine hujus versiculi: ut latentes qui faciunt iniquitatem. Quod utrumque secundum illum psalmistam sensum est, ita dicentis: Quo ibo à spiritu tuo: & à facie tua quo fugiam?

Neque enim ultra in hominis potestate est, ut veniat ad Deum in iudicium. Id est, si habuerit in potestate ut veniat, potest habere ut non veniat.

Conteret multos, & innumerabiles: & stare faciet alios pro eis. Ut de Heli sacerdotè & Samuele, Saul & David, Judæorum populo & gentium.

Novit enim opera eorum: & idcirco inducet noctem, & conterentur. Quasi impii percussit eos in loco videntium. Sub his quoque verbis Helium significasse potuit ob merita sua Judæos nocte infidelitatis excæcandos: ut conterantur & humilientur; sicut Propheta & Apostolus ait: Dedit illis Deus spiritum compunctionis.

Qui quasi de industria recesserunt ab eo: & omnes vias ejus intelligere noluerunt: ut pervenire facerent ad eum clamorem egeni: & audiret vocem pauperum. Omnes enim peccatores, & impii contra inditum sibi bonum naturæ agunt: sicut Apostolus ait: Qui cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt. Ubi autem cognoverunt Deum nisi inspiratione, & iudicio mentis? Ubi ergo Deo gloriam suam habuerunt contemptui: ubi ab ea contra suam conscientiam recesserunt: omnesque vias mandatorum Dei, quas suis cordibus habent ingentia, nosse & intelligere detrectarunt: cum hominibus quoque ita impii, & injuri egerunt, ut ad Deum pauperum oppressorum clamor audiret. Sive Judæos impios atque incredulos perstravit Deus in loco videntium: id est, in lege Mosæica: ubi Propheta, qui videntes dicti sunt, inhabitant. In ipsa enim ipse legis, & promissorum confirmatione, tanquam in loco videntium loco, iustus percussus à Deo fuit: intantum de iudicio illius qui propter nos pauper factus est cum esse: ut cecideret ad Deum: Disperge illos in virtute tua. Ave: i-ventes sunt omnes, qui in Christo ex fide vivunt: in hac enim spe positi, mente contemplantur futuram beatitudinem. In hoc igitur loco, ubi quasi hæc stantes sunt: quidam sibi fidei hujus vocabulo, habent speciem pietatis. Quidam autem ejus sunt abnegantes. Hi ipsi igitur, & heretici intelliguntur, in loco Dei malè stantes, à Deo reputantur, Apostolis & Ecclesiæ doctoribus: ut à doctrinæ peribitibus Christi contra eos resistentes, & ad doctrinam manserunt.

Ipsò enim concedente pacem, quis est qui contemnit? Propheta ait ad populum: Orate pro vita Nabuchodonosor, ut illius pace sit pax vobis. Sive pacem Ecclesiæ, & quietem ipse concedit, quando non surgunt adversus eam pugnae persecutionum: sive quando hereticorum lites, & scandala conquiscent. Nec non contra vitiorum bella, quietis & pacis silentium ipse donat: quando devictis eis, & velut acerrimis hostibus expugnatis, pax fit in homine summa virtutum. Quod autem ait:

Ex quo absconderit vulnè, quis est qui contemnit eum? Et super gentes, & super omnes homines. Hoc est, quod nisi ipse dignatus fuerit se homini revelare: quis est qui possit eum suis viribus intueri: vel perstrutano ad maiestatem ejus accedere?

Qui regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi. Quod manifestè in Satile rege apparuit: & sicut Dominus ait: Auferam de Jerusalem iudicem & Prophetam, & sapientem, & consiliarium: & dabo pueros principes eorum, & effeminati dominabuntur eis. Et Nabuchodonosor iusto iudicio Dei, multa regna, & plurimas nationes accepit. Potest & diabolus homo iste intelligi, qui perditã angelicã dignitate, hominis nomen sortitus est: de quo Dominus ait in Evangelio: Inimicus homo hoc fecit. Hypocrita verò, & simulator ideo est appellatus, quoniam transfigurat se in angelum lucis: cum ipse potius author sit tenebrarum, id est, omnium criminum, & peccatorum inventor.

Quia ergo ego locutus sum ad Deum: te quoque non prohibebo. Quasi in iudicio constitutum, permittit eum interloqui:

terloqui: ut si quid fortè sibi est dicendum, non taceat.

Si erravi, tu doce me. Si iniquitatem locutus sum: ultra non addam. Id est, non loquar.

Nunquid à te Deus experit eam, quia displicuit tibi? Tu enim capisti loqui, & non ego. Quod si quid nosci melius, loquere. Tu dixisti quod iniquus esset Deus: quia à te iniquitatem, & injustitiam vitæ, injusta correptione exigeret: cui necesse esset injustè afflictum contra eum loqui injusta: & ob hoc (inquis) displicuit tibi Deus, dum ejus iustitiam qua te punit inflontem, non vis veram esse iustitiam.

Viri intelligentes loquantur mihi: & vir sapiens audiat me. Helium sanctum Job despiciens, convertit se ad eos qui cominus assistebant: & ita de beato Job definitè pronuncians, ait ad eos.

Job autem stultè locutus est: & verba illius non sonant disciplinam. Manifestum est.

Pater mi. Quia ab ipso est homo creatus, & conditus, Probetur Job, inquit Helium: non examinetur: quod solet ad probationem eruditionis referri.

Probetur Job. Id est, manifestetur: probatum sit omnibus, cunctisque pateat Job qualis sit: ante te probetur, inquam, Job.

Utque ad finem. Ne desinas ab homine iniquitatis. Id est, insit in eo jugiter plage flagelli hujus: neque desinas infligere pœnas operantibus iniquitatem.

Qui addidit super peccata sua blasphemiam. Id est super hoc quod peccator est: addit ad cumulatum peccatorum, ut in blasphemiam crimen erumpat propter quod mala hæc cruciatum sustinet.

Inter nos interim confringatur, & tunc ad iudicium provocet sermonibus suis Deum. Condemnetur inter nos interim, ne & nobis iniquitatem reputetur: absque crimine nostro erit, si postmodum Deum provocare tentaverit.

Caput XXXV.

IGITUR Helium hæc rursum locutus est: Nunquid aqua videtur tibi tua cogitatio, ut dices: iustus Deo sum? Dixisti enim: Non tibi placet quod rectum est: vel quid tibi proderit, si ego peccaverò? Fieri potest, quod de sermonibus ubi asperius locutus est ad Deum, quam forsitan debuit: aliqua inde hic Helium descriptur: & verborum suorum invidiosè, quasi sensus illius dicere voluerit.

Itaque ego respondebo sermonibus tuis: & amicis tuis recun. Peto eo quod non potuerunt ei rationabiliter respondere.

Insipiente aëre, & intueri ei, & contemplare aëthera quod altior sit. Id est, cui te æquare præsumis: Hoc ait Helium: qui Deum corporaliter locis contineri arbitrabatur: quod in excelsis tantum atque in sublimibus Deus Dominus commoretur.

Proinde si peccaveris, quid tibi noceris? Et si multiplicata fuerint iniquitates tue, quid facies contra eum? Quod ita dixisse mihi videtur: non enim te peccante, Deo damni aliquid inferitur: aut si pro multitudine peccatorum tuorum ulcisci te voluerit, nunquid poteris ei contraire?

Porro si iustè egeris, quid donabis, aut quid de manu tua accipies? Hinc David dicit: quoniam bonorum meorum non ego.

Homini qui similis tui est, nocerit impietas tua: & filium hominis adjuvabit iustitia tua. Id est, homini nocere poterit impietas tua si malè agentem te æmulatus fuerit: quemadmodum filium hominis iustitia tua adjuvabit, si vias tuas cum rectè incedis imitetur.

Propter multitudinem calumniatorum clamabunt, & exultabunt propter vim brachii tyrannorum. Sub hæc qualitate disputationis suæ, Helium sanctum Job talibus admiscet: eisque similem iudicat, dum calumniatores & tyrannos, iniquos homines nominat: quorum calumniis & potentia, homo & filius hominis oppressi ingemiscent. Et modo spiritualiter hunc hominem & filium hominis, populum sanctum non absurdè sentimus: qui propter unitatem totius corporis Ecclesiæ, homo unus dicitur, sicut Apostolus ait: & secundum psalmistam filius hominis appellatur: ita dicentem: Fiat manus tua super virum dexterae tuæ, & super filium hominis quem confirmasti tibi. Potest hoc & de invisibilibus inimicis dici: qui occulta impugnatione vitiorum, mentibus dominantur: propter quod fideles exultantes in oratione ad

Deum dicunt: Eripe me de inimicis meis Deus meus.

Et non dixit: Quando utique affligebant prædictos, quos sibi per iniquam dominationem Deo permitte subegerant: ita ut hi sub tanta necessitate pressurarum positi ejularent, & clamarent ad Deum: illi non intenderunt animo, neque intenderunt in cælum, ut saperent quod Deo conditori suo hæc omnia displicerent. Non dixit inquam apud semetipsum talia multitudo iniquorum, sive demonum.

Ubi est Deus qui fecit me? qui dedit carmina in nocte. Hoc ait Helium. Cum ergo iustos & recte viventes à supra dictis Deus tribulari permittat: consolationem tamen eis in nocte tribulationum concedit. Nox enim ipsa tribulatio intelligitur: secundum illud psalmistæ: Probasti cor meum, & visitasti me in nocte: sicut & prosperitas aliquando dicitur: quoniam qui in prosperis est, quasi quadam feclicitate illuminatur. Unde ait in psalmo: Per diem sol non uret te, neque luna per noctem. Tanta tam, inquit Helium, tolerantiam, iusti homines à Deo accipiunt, ut etiam in nocte tribulationis, hymnorum spiritualium canticis delectentur. Canticum ergo ad exultationem cordis, vel maxime perferret. Proinde hæc exultatio de spe futuri gaudii nascitur in corde canentium, & faciunt more viatorum: quia ipsi ut viatores, & peregrini transeunt per hunc mundum: qui ut ad destinatum sibi locum sine labore perveniant, canticis fatigationem itineris consolantur ac sublevant. Et juxta mysticos intellectus: noctem, secretum quoddam, ac divinæ disputationis remotum silentium intelligamus, quod aliis sæculis, sicut Apostolus ait, non fuit revelatum filiis hominum. Quæ nox fit in quatuor vigiliis distributa: ut à principio mundi usque ad Christum Dominum nostrum hanc noctem dicamus: ut sit prima vigilia noctis hujus, ipse Adam primus, & pater hominum: per cuius conditionem evigilet animus humanus, ut credat creatorem omnium rerum Deum. Secunda verò vigilia fit tempore Noë: quo naufragium mundi factum sit, ut evigilent homines, ne & ipsi intendant. Tertia autem vigilia sancti Abraham temporibus habeatur: per quem cognoscatur mundus, quemadmodum fit hodie vivendum, & Deo placendum. Quarta verò vigilia fit circa tempora Prophetarum: qui aurora & lumine diei appropinquantis, viciniore fuerunt, utique in ipsum Christum proximum sibi diem penè electam noctem, fidei oculis intendebant. In hac igitur nocte per singula tempora prædictorum, sive prophetis, sive significationibus, de Christo lata gaudique plena prænunciata sunt. Itemque ad illam comparationem futurae revelationis filiorum Dei: ubi gloriam æterni illius diei percepturi sunt, & in re ipsa beatitudinem possessuri: nox est prærens hæc vita: cui fructus sui in futurum absconditi sunt: & ideo adhuc nox est, quia nondum vides quod speras. Proinde in hac nocte expectationis, hymni & cantica scripturarum dicta sunt nobis, donec discussa nocte fidei ad diem æternæ mansionis perveniamus.

Qui docet nos super jumenta terra, & super volucres cæli erudit nos. Docet in communibus eruditum, subtilioribus: docet non solum per naturæ dona, sed etiam per gratiæ munera. Secundum tropicum verò intellectum, jumenta, homines carnales plerumque intelliguntur: qui gula & ventris, & luxuriæ dediti sunt. Alii autem volatilibus comparantur, sive propter levitatem morum, sive propter superbiam, quæ tumentes quasi in altum eleantur. Unde dicit Apostolus: Noli altum sapere: & Dominus in Evangelio: Quia quod est in hominibus altum, abominatio est ante Deum. Nam in Græco superbus τρυφῶναι dicitur, quod est super apprensus, ut elatam mentem hominis, tumidamque significet.

Ibi clamabunt, & non exaudiet, propter superbiam malorum. Quod dixit, ibi clamabunt: fortassis significare voluit locum penarum, ubi non exaudiendi sunt peccatores, propter superbiam malorum: sive ut alii dixerunt: ab iniuriis malorum: quia mali bonis & iustis, insectationis iniurias irrogare non desinant.

Non ergo frustra audiet Deus, & omnipotens causas singulorum intuebitur. Hoc ait, quod peccatores persistentes in malis suis, non audiat Deus: quoniam sine causa utique ad eum clamant, qui non merentur audiri.

Etiam cum dixeris: non considerat iudicare coram illo, & expecta eum. Quando vides o Job, quia non statim Deus reddit peccatoribus quæ merentur: noli pusillanimitate frangi, ut in blasphemiam erumpas, & dicas Deum injustum sive iniquum: sed iudicare cum eo debes, id est, iudicis ejus